HERMANNUS von der Hardt

Lectori S.

TRibus jam propemodum annis in Concilio hoc Oecumenico Constantiensi privatis publicisque consultationibus actum erat *de Ecclesiastici status emendatione.* Id quod ex *longa serie monumentorum* hactenus recensitorum planum est atque apertum. Et nihilominus ob partium studia eo res deduci nondum poterat, ut, quod in solenni *Reformatorio* toties tractatum, ventilatum, excussum, repetitum, definitum erat, ad effectum tandem deduceretur. Indignissime hanc moram tulit Imperator, ac alii Principes, & viri quique cordati magno numero.

Neque destiterunt hi palam arguere præcipua Reformatorum capita callidæ tergiversationis. Quippe qui tantum abest desideratam illam ac definitam Ecclesiæ reformationem promoverent, ut potius impedirent ac evitare aut subvertere studerent. Idque ex eo, quod se tangi suamque rem agi sentirent, quibus animus plane non esset, linquere pristinos pravos, Ecclesiæ saluti inimicos mores.

Non dissimulavit idem & hic Theologus ac Concilii Orator *Theobaldus.* Doluit & amare conquestus est, non duntaxat de longa reformationis dilatæ mora, sed & de artibus illis magnorum quorundam in Ecclesia capitum, quibus à reformatione sui status animus longissime abesset. Quapropter ut ne ullum superesset effugium, quasi tantopere expetitum reformationis negotium minus esset necessarium, omni remota umbra & detectis latebris, omnem vitiorum colluviem, quæ Ecclesiasticum statum plane inundasset, cum aliis & hic *Theobaldus*, in publica Synodo, autoritate publica munitus, aperte demonstravit.

Neq; verò primus neq; unus hic fuit publicus Concilii Orator, qui isthæc cleri ulcera, quæ medelam omnem respuere viderentur, pressis digitis tangeret. Superiores Oratores pari affectu præditos, & in publica commoda studio prorsus simili motos, audiverat. Par itaq; negotium parem conciliavit animi præsentiam.

De cetero Oratori præcedenti Bernhardo Baptisato *A.* 1417. *mense Augusto* in hoc arduo dicendi munere statim successit noster *Theobaldus*. Ille siquidem *Dominica* XI. hic XII. post Trinitatis solennem sermonem habuit.

Quamvis enim *in MSC. undecima post Pentecostes* sit Orationi assignata, Evangelii tamen memorati character indubius est testis veri temporis, nempe *XII. post Trinitatis*. Quod, etsi leviculum, non plane prætereundum fuit. Quippe quod rationem temporis in hac præcipue historia nosse vehementer juvet.

Hic siqvidem *mensis Augustus* est, quo desideria ac consilia Augustissimi Imperatoris Sigismundi, Nationumqve omnium, qvoad Reformationem Ecclesiæ in Concilio Const. summum attigerant apicem. Fervebant tunc studia Imperatoris in hac re qvam maxime. Calebant Nationes vehementius solito. Maturuisse jam videbantur Concilii fructus. Reformationis spes erat certissima. Siqvidem trium Pontificum lites, mense superiori ex voto compositæ, locum jam dedisse videbantur augusto reformationis operi, citius multo atqve felicius ad maturitatem perducendo. Constituerat enim Imperator, ultimo Pontifice Petro de Luna sede moto, clarissimum reformationis solem absqve mora reddere Ecclesiæ. Qvapropter *hoc* statim *mense Augusto nominati à Nationibus Deputati pro Reformatione consummanda.*

Huc adeo pertinent freqventia Oratorum Constantiensium calcaria nostriqve *Theobaldi*, Reformatoribus universoq; Concilio *hoc mense* subdita, qvibus animus adderetur ingens hoc sanum strenue volventibus, & arcerentur remoram per arduo huic negotio injecturi. Nec enim majoris est virtutis, memorabile facinus præstare, qvam obstantes arcere.

THEOBAL-